



Patriarchatus Latinus - Jerusalem  
البطريركية اللاتينية الورشلية  
المكتب الليتورجي  
Officium Liturgicum

Die 20 Iulii

S. Eliæ, prophetæ

Memoria

Ant. ad introitum

I Rg 17, 1

**D**ixit Elias Thesbites : « Vivit Dóminus Deus Israel, in cuius conspéctu sto ».

vel

Mal 4, 5-6

Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus et horribilis. Et convértet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eórum.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,  
qui beáto Eliæ, prophétæ tuo ante fáciem tuam vivere  
eúmque zelo glóriæ tuæ zelare tribuísti,  
concéde fámulis tuis,  
ut, fáciem tuam semper inquiréntes,  
dilectionis tuæ testes fieri mereántur.  
Per Dóminum.

LECTIO PRIOR (propr.)

« Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis »

Lectio libri Sirácidae

48, 1-4. 9-11

Surréxit Eliás prophéta quasi ignis, et verbum ipsius quasi fácula ardébat. Qui indúxit in illos famem, et irritántes illum

invídia sua pauci facti sunt; non enim pótérant sustinére præcépta Dómini. Verbo Dómini contínuit cælum, et deiécit de cælo ignem ter. Sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis. Et quis potest similiter sic gloriári tibi?

Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum; qui scriptus es in iudíciis téporum, leníre iracúndiam Dómini, conciliare cor patris ad filium, et restitúere tribus Iacob.

Beáti sunt qui te vidérunt, et in amicitia tua decoráti sunt!  
Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 144, 17-18. 19-20. 21 (R. 18)

R/. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum.

1 Iustus Dóminus in ómnibus viis suis  
et sanctus in ómnibus opéribus suis.  
Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum  
invocántibus eum in veritáte. R/.

2 Voluntátem timéntium se fáciet,  
et deprecationem eórum exáudiet, et salvos fáciet eos.  
Custódit Dóminus omnes diligéntes se,  
et omnes peccatóres dispérdet. R/.

3 Laudatiómem Dómini loquétur os meum,  
et benedícat omnis caro nómini sancto eius  
in saéculum et in saéculum saéculi. R/.

ALLELUIA

cf. Mt 17, 5

R/. Allelúa. V/. Hic est Fílius meus diléctus : ipsum audíte.  
R/. Allelúa.

*Praefatio (propr.)*

EVANGELIUM (pr.)

« Moyses et Elias dicebant exodum eius »

† Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 9, 28b-36

In illo témpore :

Assúmpsit Iesús Petrum et Iacóbum et Ioánnem, et ascén-dit in montem ut oráret. Et facta est, dum oráret, spécies vul-tus eius áltera et vestitus eius albus refúlgens. Et ecce duo viri loquebántur cum illo, et erant Móyses et Eliás, qui visi in glória dicébant exodum eius, quem completúrus erat in Ierú-salem. Petrus vero et qui cum illo graváti erant somno; et evigilántes vidérunt glóriam eius et duos viros qui stabant cum illo.

Et factum est cum discéderent ab illo ait Petrus ad Iesum : « Præcéptor, bonum est nos hic esse et faciámus tria taber-nacula, unum tibi et unum Móysi et unum Eliæ », nésciens quid diceret. Hæc autem illo loquénte, facta est nubes et obumbrávit eos; et timuérunt intrántibus illis in nubem.

Et vox facta est de nube dicens : « Hic est Fílius meus eleéctus ipsum audíte ». Et dum fieret vox, invéntus est Iesús solus.

Et ipsi tacuérunt et némini dixérunt in illis diébus quid-quam ex his quæ viderant.

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Múnera Ecclésiæ tuæ, quaésumus, Dómine, propítius réspice, et qui sacrificio Eliæ prophétæ mirabíliter affuísti, hóstias quoque nostraras suscipere dignérис.

Per Christum.

V. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Gratias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aéquum et salutáre,  
nos tibi, Dómine, sancte Pater,  
semper et ubique grátias ágere,  
per Iesum Christum, Dóminum nostrum.  
Ad te Deum vivum et verum confiténdum  
éléctos prophétas suscitásti,  
qui pópulum tuum erudírent in exspectatióne salutis,  
Eos inter Eliam Thesbítem divína amicítia decorásti,  
ut, zelo glóriæ tuæ zelátus,  
omnipoténtiam et misericórdiam tuam manifestáret.  
Ipsum quoque inter transfiguratiónis testes Christo adstáre voluísti,  
ut Filii tui glorióso gaudéret aspéctu  
qui tui in conspéctu semper ambulávit.  
Et ideo, cum cælórum Virtútibus in terris  
te iúgiter celebrámus, maiestáti tuæ sine fine dicéntes :  
Sanctus, Sanctus, Sanctus...

*Ant. ad communionem*

cf I Rg 19, 8

Comédit Eliás et bibit, et ambulávit in fortitúdine cibi illius usque ad montem Dei.

*Post communionem*

In mensa Filii tui, Dómine,  
cibo potúque angélico roborátis, concéde :  
ut, te per fidem semper inquiréntes,  
in monte glóriæ perénni tuo fruámur aspéctu.  
Per Christum.